



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Principum Christianorum erga Papam obedientia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quam Hippias alter omnia præterita & futura, scire se arbitraretur. Magnum virum Lutherum futurum fuisse Beza in imaginibus suis dicit, sitantum prudentiæ & moderationis quantum Zeli attulisset. Quod in eo reliquum erat pudoris, immoderata libido; quod timoris, audacia; quod rationis, insania extinxit. Verum quæ in Luthe-ro præ ceteris insignes fuerunt tam dotes quam vitia, ex ijs quæ postea in vita ipsius describenda dicturi sumus, melius intelligentur. Et certe alius esse non potuit qui vitij & licentiæ latissimam fenestram aperturus, obedientiam ac virtutem profligaturus, sectæ denique ex omnibus superiorum hæreticorum erroribus confarctatæ fundamenta iacturuserat. Quam vero in consueudis variarum hæreseon centonibus egregius ille fuerit artifex, ipsa historiæ nostræ series ostendet. Habes, lector, Lutheri natiuitatem, educationem, & primum in Ecclesiam ingressum: videamus porro eius egressum & defectionem, eiusque causam & occasionem. Sed vt legentibus omnia apertiora sint, rem ab ovo, quod dicitur, repetere, operæ precium videtur.

QUOMODO SACRA EXPEDITIO contra infideles à Leone X. PP. promulgata dissidio inter Dominicanos & Augustinianos ansam præbuerit; quo postea schisma est exortum.

CAPVT VI.

ARGUMENTUM.

- I. Leo X. Papa Crucem contra Selimum Turcarum tyrannum iubet predicari.
- II. Principum Christianorum erga Papam obedientia.
- III. Crucis predicatio terror Othomanicæ familia.
- IV. Pecunia ex Crucis predicatione collecta Christiana Reipublica defensionis applicanda.
- V. AEmulatio inter monachos Augustinianos & Dominicanos, prima huius mali radix.
- VI. Ei schismati Dux Saxonie fauet.
- VII. Staupe iij discessio à Luthe-ro & Saxonie Duce.

I. **D**ico non potest quanto terrore Selimus Turcarum Imperator vniuersum mundum circa huius sæculi initium impleuerit; adeo vtram Oriens quam Occidens vel ad famam contumiarum eius victoriarum contemisceret. Hic enim populorum domitor & crudelis parricida, postquam debellatis Persarum, Ægyptiorum &

Mamaluchorum regibus tot regna & ditiones imperio suo adiecit, nihil aliud nisi vniuersalem Monarchiam sominabat ac cogitabat. Iam ille in opulentissimas Italiæ & Hungariæ regiones oculos defixerat. iam ille Romanum Imperium ad prædam, iam Christianorum templa ad impiæ suæ superstitionis receptacula designabat. Extimulabat ipsum animus vastus: quem frequens rerum ab Alexandro Magno & Iulio Cæsare gestarum lectio & accendebat & alebat. (a) Horum enim Commentarios in patriam linguam traductos nunquam fere è manibus deponebat: adeoque horum exempla in omnibus ad imitandum sibi habebat proposita. Iam ille catenas & compedes miseris Christianis vincendis præparat, non aliter quam Germani olim, qui multos curtus funibus & catenis onustos cum adduxerant, vt ijs Romanos ad eadem & captiuitatem, opinionis errore & falsa spe sibi designatos, vincerent. Hoc omnium Christianorum periculo expegefactus Leo X. Pontifex Maximus Deique in magno hoc animarum imperio Vicarius, precibus & ieiunijs publicis Dei misericordiam implorari iussit. adeoque ipse vna cum sacro Cardinalium collegio nudis pedibus septem Romæ maiores Ecclesias visitauit: tum etiam per legatos & Nuncios ad sædus & bellam contra tam formidabilem hostem Christianos Reges, Principes & Reipublicas excitauit circummissis Breuibus seu Bullis Apostolicis, quibus omnes ad assumendum Crucis signum & tam sacram hanc expeditionem commonebantur. Ad Imperatorem missus fuit S. Sixti Cardinalis; ad Gallæ Regem, Cardinalis S. Maritæ; ad Regem Hispaniæ Cardinalis Ægidius; & ad Regem Angliæ Cardinalis Campegius. (b) Quia vero Christiana Reipublica factionibus tum distracta erat (quamuis vna vbique omnium esset religio) idem communis omnium parens sub præna Excommunicationis serid edixit vt pacem omnes colerent, & in quinque annos generales inducias facerent.

II. Huic Edicto morem gerentes Christiani Principes vno consensu arma contra communem hostem vertere instituebant. Maximilianus Imperator & Franciscus I. Galliæ Rex sacro huic bello interesse ipsi decreuerant; ille quidem quum

zelo
a Vide Iouium tom 1 lib 14 & 17. Vide Tillier.
& Cuiaciard lib. 13. Genebr. lib 4. Chronol. fol. 716.
b Nic. Sand in schis. Angl. fol. 28. & 29.

zelo tum proprio periculo stimulatus, ut cuius ad latus hostis tam potens & acer sedebat, hic vero tamquam præcipuus sacri huius federis auctor. Postquam igitur iam dictus Rex cum Pontifice Bononiæ congressus esset, multi passim Principes exstiterunt, qui suscepto voto & Crucis signo, militiæ huic nomen dederunt, eum in finem ut bellum ab Europa in Asiam transferrent, & qui barbaris hæcenus quasi pro incude fuerant, iam porro pro malleo essent, Sistite hic, invidi & calumniatores, qui omne malitiæ virus contra Pontifices euomere, omneque etiam sanctas ipsorum actiones calumniari soletis. Sistite, inquam, ab una parte notate admirabilem illius humilitatem, qui à nobis, ut vos dicitis, pro Deo habetur, nudis pedibus Ecclesias obeuntis, in pane & aqua ieiunantis, & tam calidis suspirijs & precibus pacem & misericordiam Ecclesiæ, cuius directio à Deo ipsi commissa est, poscentis; ab altera vero parte obstupescite tantam Christianorum Regum ac Principum obedientiam priuati iniurias tam facile Reipublicæ condonantium, & vnus imperio tanto consensu acquiescentium. Ita quidem conuenerat ut Romanus Imperator, cum Hungaris, Polonis & Germanis Constantinopolim aggredere; Galliarum Rex cum Heluetijs, Venetis & alijs Italiæ Principibus Græciam inuaderet; Hispaniæ, Angliæ & Lusitanæ Reges cum ducentis nauibus bellicis, & centum triremibus à Pontifice instructis Constantinopolim eodem tempore quo Imperator terra, mari oppugnarent. Vides ingentes ad bellum apparatus, & omnes Christianas nationes Crucis signo signatas, ad sacram expeditionem accinctas.

III. Porro sacræ hæc expeditiones, quas Cruciatas vulgo vocant Othomano imperio semper formidabiles fuerunt, postquam prima hæc verba signis inscripta prætulit: *DEVS VULT. HAC VNA MAHUMERES II. aliquandiu quasi fræno constitutus, nihil contra Christianos tentare ausus fuit. Ego (ait idem in quadam ad PP. Pium II. Epistola) mortis Iesu Christi culpam nullam habeo, quin etiam Iudæos à quibus ille Crucifixus est, execror & detestor, Cur ergo tu tuos contra me armas? Cur remissionem peccatorum ijs promittis qui bellum mihi intulerint?* Tum quidem Christiani & vno nomine & vna religione coniuncti, sub vno & eodem sacræ Crucis vexillo militabant. Saxo & Italus, Hispanus & Anglus eidem cohorti erant adscripti. Vna & eadem fides, vna eademque lex omnium ani-

mos stimulabat, voluntates coniungebat, & ad tam periculosam & vltimam expeditionem Principis Christianorum suasu & mandato non solum contra infideles, verum etiam hæreticos suscipiendam animabat. Recte enim ab Epiphano dictum est, *prauam fidem ipsa infidelitate peiorem esse. Hæc enim non credendo credere; illos vero credendo non credere.* Quod si eiusmodi expeditionum exitus non semper votis respondit, exque animose magis susceptæ, quam feliciter perfectæ sunt, Dei iudicia super nos agnoscamus. *Bonum enim Consilium sæpe, ut Solon aiebat, infeliciter cadit: nec valde Mundi iudicium curare oportet, omnia ex euentu iudicantis.* Illud certum est, eiusmodi conatibus hostium sæpe consilia elusa atque elisa fuisse. Negari non potest, si magni illi duo Principes Carolus V. Imperator & Franciscus I. Galliarum Rex vires suas non ad mutuam perniciem & ruinam, sed Turcarum oppugnationem conuertissent, Solimanum de Rhodo & Hungaria nunquam triumphaturum fuisse. Atque, o, vti nam tot duces peritissimi, tot fortissimi milites tam Germani quam Galli, qui mutua laiciæna absuncti, in medijs patriæ cineribus sepulti iacent, vim suam & arma contra Turcas coniunxissent! *Quis non putet immanissimum tyrannum de sua magis salute defendenda, quam aliorum oppugnanda cogitaturum fuisse? Tantum abest ut arma ille vltra Sigethum, quemadmodum, proh dolor, fieri vidimus, prolaturus fuerit. Quin certum est tantum imperium è manibus eius extorqueri, & à Gallica Nobilitate præcipue, cuius pristinam virtutem in Sidonis, Tyri & Hierosolymæ muri testantur. gloriosum salutis nostræ tropæum ex Constantinopolitanæ vrbs turribus ac pinnis efferri, illudque pulcherrimum S. Sophiæ à Iustiniano Imperatore ædificatum templum, ad veræ religionis vsum repurgari potuisse.*

IV. Ceterum quandoquidem pecunia belli neruus est, sine qua nihil non dico præclare, sed ne geri quidem aliquid potest (id quod Græci optime intellexisse videntur, dum in eodem templo quod Marti consecratum erat in Delo Insula, thesauros suos asseruari voluerunt) necesse sanctum erat de modis eius colligendæ, & tam arduum opus perficiendi cogitare. Et ad hunc quidem finem, Imperatoris aliorumque Principum rogatu iubilæum per omnes Christianas prouincias fuit annunciatum, ut deuoti homines qui ipsi ad sacrum hoc bellum ire non poterant, ad